

# DEO OPTIMO MAX.

## UNI ET TRINO,

## VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.



# QUÆSTIO MEDICA*,

*CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis octavâ mensis Martii, anno Domini* M. DCC. LXXXI.

M. LUDOVICO-ALEXANDRO DE CEZAN, Doctore Medico, Præside.

*An sanis quotidianus* ἐνεμάτων *simplicium usus ?*

### I.

SI *Medicus vitam ac sanitatem hominis arte suâ tueri & conservare vult ac debet, necesse est ut genuinas vitæ ac sanitatis causas, & quomodo hæ remediis sustineri debeant, & remediorum quibus succurrere potest vires, perspectas habeat,* refert *Hoffmannus.* Pleniorem interim causarum sanitatis cognitionem ad ætiologiam morborum evolvendam necessariò conferre, in confessum venit. Quot heterogeneæ malorum in his, tot homogeneæ bonorum in illâ compages. Hominem in statu perfecto sanum consideres. In cerebro vigent sensus, emicat

* *Auctore M. Francisco-Ludovico* THOMAS D'ONGLÉE, *anno 1757.*

animi alacritas ; uno verbo vegeta in obeundis muniis libertas, legitimæ chylofeos figna, mutum inter folida & fluida, animam & corpus confenfum prædicat. Paucis verò diebus quæ mutatio ! Dolent vifcera, languefcunt vires, obtunduntur innumeris modis fimul vel feorsùm omnium corporis organa ; denique à rerum non naturalium abufu generale difturbatur commercium. Quis animo non fibi fingeret morborum ægritudinibus fanitatis dulcedinem redimi debere ? Immodicâ quilibet ætatis etiam capacioris trahitur voluptate. Refiftere nefcius fecuturum hinc arcere malum, & vitia bonis compenfare fic tentat : vir ut opipara devoret alimenta, potu generofo imò & aquis cardiacis fe proluat impunè ; fœmina fobria magis aliquando, gratam colore venerem tueatur, fæpius fugitivam revocet, abfentemve mentiatur ; ferè femper utrique iifdem illecebris allecti, enematibus aquæ fluviatilis tepidæ fingulos in dies repetitis aluum irrigant :

*Dùm vitant ftulti vitium, in contraria currunt.* Horat.

auream hanc regulam altâ mente reponant. *In omnibus moderatio, mediocritas.*

II.

INTER relaxantia & diluentia non infimum tenent tocum aquæ tepidæ clyfmata, hæc partium internarum balnea, ut ex generalibus ad fpecificam morborum curationem ægros rectè difponentibus medicamentis præftantiffima, fpectantur. Æftus vifcerum, colicofque dolores leniunt, flatus diffipant, confiftentiam humorum fpiffant & augent, nimiamve diluunt minuuntque. In omnibus ferè morbis fimplicia hæc anteponenda compofitis ἐκκοπρωτικὰ judicant & frequenter adhibent dexterrimi clinici. Plurimis profunt, nocent pauciffimis. Præclarè quidem in pathologicis cafibus.

Sanis familiare eft femel tantum vel bis in die alvum deponere, fœces neque duriores neque fluidiores, fed inter denfitatis extrema mediæ excernuntur : oportet enim fanorum fedis effe figuratas. Quibufdam fibrarum robore citatior eft excretio ; aliis fibrarum debilitate, tardior ; robuftiffimis quidem majori fuccorum perfpiratione fœces exficcantur, & non nifi ægrè dijiciuntur. Homo fuit integræ valetudinis cui quintâ demùm feptimanâ alvus evacuabatur *. Fateor quidem ob peculiarem diathefim multos poffe præcaveri morbos, fi moderatè & tempeftivè ufurpentur enemata fimplicia. Ut enim relaxantia generatim partibus fuis flexilibus fibras molliores laxiorefque efficiunt. Ad inteftinorum laxitatem tendunt ; glandulas horum canalefque excretorios relaxando, majorem liquoris inteftinalis copiam provocant, & indè conftipationi medentur. Ut diluentia, molecularum aquearum ope humores à fe dimovent, & majorem his afferunt fluiditatem ; folida humectant & relaxant ; majorem aquofarum partium copiam fanguini largiendo, minores reddunt ofcillationes. Ad illos effectus Medico fupercilio attendas ; ex quotidiano ufu abufus jam elucefcit.

* Stalpart van der Wiel obf. 55. cent. I.

III.

CORPUS elaftico motu gaudere dicimus quod ex filamentis duris & tenfilibus conflatum, expanfionis & conftrictionis, elongationis & abbreviationis patiens, in priftinum ftatum fefe reftituit. Fibris igitur folidas partes conftruentibus hunc adfcribere non dubitamus elaterem ; quem autem ad fecretiones & excretiones, vitæ & fanitatis præfidia, tuendas adeò neceffarium docent celeberrimi Medici, ut fi alteretur tantummodo, nimia debeat fieri vaforum dilatatio & fibrarum expanfio. Ex quotidiano enematum ufu quantum fuæ contractilitatis deperdent inteftinorum fibræ ! Nam à fe invicem dimotæ in partium fuarum interftitiis moleculas aquofas facilè admittunt, & tunc expanduntur

ultra horum capacitatem. Id ſi contigerit, excrementa in cæcum delata ægrè aſcendunt, ingrediunturque coli initium. A nerveo-muſculoſis & robuſtis, quibus hujus initium componitur, membranis relaxatis vix preſſa urgentur. Vigente tamen muſculorum abdominalium & diaphragmatis actione, explicatis adhuc tunicæ nerveæ rugis, progredi queunt. Cylindricam canalis more inſolito ampliati formam recipiunt. In rectum ſi fortè delapſa, ſphincteres quidem premunt & relaxant; à muſculis dilatabitur anus; ſed certè nulla erit fœcum excluſio niſi ter quatervè repetantur aquæ fluuiatilis tepidæ clyſteres, qui fruſtatim has ſejungere, & per particulas extrudere valeant. Quod quotidiè obſervamus ex horum incrementis quibus adeò familiaris ſimplicium enematum uſus. Imò neceſſe eſt ut ſucci inteſtinales non modò tubum lubricent, ſed etiam intimè miſceantur ſcybalis, & humiditatem quæ tranſpiratione, calore, ſeu cum chylo per venas lacteas proſiluit, reſtituant. Relaxatis autem extrà modum fibris, minor ſanguinis quantitas ad glandulas defertur; tunc nedùm major liquoris inteſtinalis copia provocetur, minor fit ſecretio: eſt enim ſecretio ut velocitas ſanguinis in omni parte, ut demonſtravit *Bellinus*. Imminutis motu periſtaltico & calore, oleum in omento ad bilis geneſim multùm inſerviens, ineptum evadet; ac proindè bilis ut purgans & clyſter naturalis ſpectata, ad ejectionem fœcum inteſtina ſufficienter ſtimulare non ampliùs poterit. Denique adeò levis eſt in organorum laxitate conſtituentium partium cohæſio, ut naturales vitæ functiones abſolvi ſit impoſſibile.

## I V.

A Fibrarum laxitate morbos chronicos, vel ſaltem maximam ad hos proclivitatem, oriri conſtat. Tonus, robur & elater fibrarum in ſufficienti liquidi per nervos influxu conſiſtere videtur. Quæ propoſitiones millenis auctoritatibus, experientiâque quotidianâ, ſtabilitæ pro efficaci argumento debent haberi. Caveant ergò quibus nimis intenditur clyſterum ſimplicium uſus. Ut relaxantia & diluentia in partium internarum inflammationibus maximo cum ſucceſſu præſcribuntut. Reſorptionem enim aquearum molecularum in vicinas partes poſſibilem demonſtravit *Boerhaavius* *, cùm venarum plurium generum injecta canalium ora ſubeant. Ideò fibras viſcerum humectari & debilitari poſſe ultrà modum confirmatur. Quòd ſi opiparo victu pleniùs indulgere ſolemne fuerit; *arteriæ lymphaticæ, glandulæ, & omnia ſecretionis organa aliquatenùs obſtruentur, officioque ſuo non ultrà ſufficient, ipſaque natura obruta fatiſcet* *. Deſtructo inteſtinorum tono, ructus, flatus, & moleſta dyſpepſiæ erumpent ſymptomata. Cerebrum ob communicationem nervorum ventriculo intertextorum hæc mala ſentiet. Fiat minor animi commotio? Inordinatus erit fluidi per nervos affluxus; hinc tyrannidem ſuam exercebant ſpaſmi quos affectus in viris hypocondriacos, in fœminis hyſtericos, & in utriſque *vapores* appellat *Sydenhamus*. Hæc enim *à ſpirituum ἀταξίᾳ inordinatoque motu, potiùs quàm ab humorum aliquo vitio produci aſſerit*. Quo in caſu nocere potiùs quàm prodeſſe ſimplicia enemata addit peritiſſimus author. Mulierem viginti quatuor annorum nuper aquæ tepidæ fluviatilis clyſmatibus aſſuetam quotidiè manè, vaporibus obſeſſam vidi. Nullis cujuſlibet generis animi pathematibus obnoxia, benè menſtruata, viro non languido, tàm ſincerè quàm ardenter dilecto copulata erat. Quæ igitur affectionis cauſa poteſt ſuſpicari? Plurimi hanc inviſerant Practici; exercitium, equitationem, animi recreationem, & alia huic convenientia ſuaſerant. Quod verò fuiſſet à Medico præſcriptum, ut id rejiceret mulier, ſat

* Legit. quoque in prælect. Boerhaav. Acad. hanc reſorptionem in venas meſentericas craſſorum inteſtinorum experimento demonſtraſſe D. *Mery*.

* Cheyn. in morbis feb. laxæ.

habebat. A frequentiori ſimplicium enematum uſu poſſe oriri aut ſaltem foveri morbum mihi venit in mentem ; ideam hanc cum marito communicavi ; illa, non meo conſilio, ſed aſſiduis mariti precibus, cùm crederet obſequi, ab hâc conſuetudine, ſenſim tamen, diſceſſit. Aliquandò poſt exoluere ſymptomata ; in priſtinam rediit ſanitatem, quâ hodiè lætiſſima fruitur. Si conſuetudinem hanc, non ut cauſam efficientem, ſaltem in fœminis quarum laxior textura fibrarum infirmitatem indigitat, auxiliatricem, & virtutis elaſticæ defectui multùm faventem agnoſcet profectò Medicus. Quid etiam formidare non debent, qui ſingulo mane largiſſimis aquæ tepidæ hauſtibus ſeſe ingurgitant, cùm, quod in unâ parte corporis, in omnibus quoquomodo deſtruat æquilibrium *.


* Arbuthn. Eſſai ſur la nature & le choix des alimens ch. VI. prop. II.

## V.

CORRUPTIO igitur optimi peſſima. Ex quâcumque diversâ licèt diatheſi majora vel minora exoriri debere incommoda jam ex anteceſſis patet: ſi enim calidâ adeò ſiccâque donetur ut tuendæ valetudinis cauſâ quotidiano enematum ſimplicium uſu abſolutè teneatur homo, ſanum hunc immeritò dixeris. Quidam tamen non modò rectè ſeſe habent iſtis aſſueti, ſed etiam neſtorianos attingunt annos ; quid indè ? Nonne quidam ſingulos in dies rebus non naturalibus impunè abutuntur ? Eſto adhuc quòd ab opio Turcæ, à ſpiritu vini Poloni, &c. non alterentur ; addas etiam quòd nullum juxtà neceſſitates beneficium recipiant. Non ideò conveniens nec tutum crebris ictibus alicujus rei conſuetudinem facere, imò periculoſum, præſertim in medicaminum uſu, vel quia natura aſſuefacta ab ipſis non movetur, vel quia, ſi dimittatur, ſtatim morbus ingruit. Conſuetudinis igitur vis miranda quidem ; ſed vitanda. *Celſum* audias : *homo ſanus nullis ſe debet obligare legibus, varium vitæ genus habere.* Numquid ingrati foret animi adventitiam acquirere naturam ? Ut enim ipſa tot omnium ſpecierum alimentis orbem ditavit, ad deſiderium horum noſtros accommodavit appetitus, & ad horum digeſtionem aptis nos inſtruxit organis, ſic etiam compreſſivo motu diaphragmatis ope muſculorumque abdominalium, periſtaltico, quem lubricans in roris formam vicinarum partium, ipſarumque glandularum inteſtinalium humor multùm facilitat, foràs pellit excrementa. Demùm ipſam ſequi naturam, medium inter alibilia & prophylactica ſtudebit ſervare, & in neutro extremorum unquam ſapiens peccabit.

*Ergò ſanis nocet quotidianus ἐνεμάτων ſimplicium uſus.*

Proponebat Pariſiis PHILIPPPUS PETIT-RADEL, Pariſinus, Doctor Medicus Remenſis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus. A. R. S. H. 1781. AB OCTAVA AD MERIDIEM.




Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1781.